

altitudo & pondus aqueæ columnæ semper eadem manent.

III. Verùm enimverò cùm prior, intra campanam compressior, aër cum incumbente columna aquea jam fuerit reductus antea ad æquilibrium, is qui de novo submittitur intra ampullas aut vesicas coactiore elaterem suum aut vim expansivam prioris elaterio jungens & expansioni suæ spatium aliquod deposcens, cedere certè aliquantum aquam subjectam cogit, aëreamque adeò sphæram tantò magis expandi faciet ac rarefcere, quantò frequentius hæc auxilia prioribus viribus superveniunt: ut taceamus, non quantitate solâ, sed etiam qualitate suâ recens-submissum ac puriorem aërem illius ex frequenti respiratione tepesfacti & vaporosioris vitia quodammodo corrigere, ut aptior ad respirandum iterum fiat, quàm ante fuerat. Omnem verò illam incommo- ditatem sic penitus tolli posse nunquam dixerimus, ideoque necessum est, ut ei quæ restat id hominum genus paulatim adsuescat, & ea sit hinc corporis constitutio, quæ his incom- modis ferendis adsuescieri possit; prout certè non quilibet ad hæc talia aptus natus est, & ex ipsis Urinatoribus uni sphæra illa aëris submarina diutiùs ad respirandum sufficit quàm al- teri, teste frequenti experienciâ: quæ cum in diversis Orbis terrarum locis, in Scotia, Suecia, Hispania &c. illam sub aquis respirandi possibilitatem ipsâ re comprobaverit, frustrâ hæc ratiociniorum levi armaturâ impugnabitur.

IV. Ipsemet Autor Ephemeridum laudatissimus pau- lò post excerpta nobiscum communicat ex literis *Dominici Panthot, Med. D. & Prof. Lugdun.* ad se datis, in quibus ocu- latus hic testis prolixè narrat, i. Gallum militem ad oras Ca- taloniæ in portu Capadaques, quem bello proximo ante Re- gis cum Hispana matrimonium occupaverant, ope talis ma- chinæ urinatoriæ laminas plurimas, quibus onusta duo na- vigia ibi locorum ad scopulos allisa & submersa fuerant, esse piscatum, ausu & jucundo spectatu, nec infructuoso.

V. Cam-